Casimirus
…piscopus …misliensis

Jarosl. et Croza. Soc. Jesu Coll. Primo secundus praesulei lapidis iactus in templo honoris.

Vert 19

PRIMO SECVNDVS

PRÆSULEI LAPIDIS IACTUS

In Templo Honoris.

HOC EST

PRIMA CATHEDRA,

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO IOANNI CASIMIRO

BOKVM

EPISCOPO PREMISLIENSI,

NOMINATO CRACOVIENSI,

Utriusq; Signaturæ Referendario

COLLATA,

& â Diœcesanis

PREMISLIENSI,

VTROQ DVCALI IAROSLAVIENSI,

CROSNENSI,

SOCIETATIS IESU COLLEGIIS,

profundo cultu, utroq; stylo

ADORATA.

ANNO

abscisi de monte sine manibus

LAPIDIS.

1702.

LEOPOLI TYPIS COLLEGII SOCIETATIS IESV.

Sedet Optimus alto
Accipiens Sonitum SAXI de vertice Pastor

Virgil.

Lapis Admirationis mutos, & elingues suos facit spectatores.

Nierembergius historiæ naturalis lib. 16 Cap. 20

ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME ANTISTES.

TAntùm non obruit Rhetorum ora, maximis quibusq; aris, in Honoris Templo, dignus Lapis Tuus. Desinit esse in ambiguo illorum ad posteros traditio, qui Lapidem admirationis inveniri apud Arabes, testantur, mutos & e

lingves

lingues suos facientem spectatores. Mirari magis quàm loqui merita
Tua possumus, Præsul, omnibus digne, & major Infulis: stupere illa,
profunda admiratione defixi debemus, non pro Tua dicere dignitate.
Neq; dicimus, ut par est; similesq; sumus elinguibus, & mutis. He-
betat magis, quàm acuit Oratorum ingenia, Tuus Lapis, atq; obtun-
dit: & sic mole virtutum obruit, ut pro vocibus, admirationem expri-
mat. Fatetur ingenuè Patria, supremas deberi Tibi Infulas; sed
moderatio Tua optimè consulit illius verecundiæ, ut ampliores crescen-
tibus meritis conferre possit Tiaras, neq; primo aditu totam simul ex-
haurias gazam Dignitatum. Vno passu attingeres, quod summum est;
hærere in minoribus Honorum clivis præeligis, antequam fastigium
prehendas, & Patriam tempestivè ingratam Tibi facias, amplitudine
meritorum, quæ coronare non possit. Plurimis nominibus obligata de-
ducit Te ad Cathedram hanc Societas Nostra: scilicet sacris Ko-
stcæ, & Mecinii, magnis Wapovij, & Branicij nominibus. Intellige
Præsul tantis Tuam debere omnino esse Societatem titulis; pro qua Il-
lustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationi supplex venit, Tuus in
Diœcesi hac Collegiorum Quaternio.

PRimus hic in Præſulei Honoris Baſilica, Lapidis Tui jactus eſt, Illuſtriſsime, & Reverendiſsime Antiſtes. Secundum dicere debui, quia fauſtum, quia felicem, & qui fortunam omnium attollet; ceu Baſis. Ab illo enim inconcuſſam firmitatem Sacra Religio, ſalutem Patria, ampla Diæceſis validum robur: Illuſtriſsima Bokumorum Domus majora decorum incrementa, deniq; spes & vota omnium velut â fundamento quandam felicitatis accipient perennitatem.

Immortales proinde gratias habet hoc nomine Polonia Sanctiſsimo CLEMENTI XI, quòd à ſuis Albanis montibus, quibus cælum incumbit veriùs quàm Atlanti, Lapidem hunc inter prodigioſos olim Saxorum imbres, quodam torrente gratiæ abreptum, in Premisllienſem Cathedram effuderit. Par grati animi teſtimonium AUGUSTO II. Patria debet, qui meliore Lapillo, id eſt Præſuleo, fortunata diſtinguit ſibi nobiſq; tempora Saxo. Illud ſcilicet prodigioſæ Tuæ deeſſe videbatur potentiæ Regum Maxime; ut ſiquidem immotam plus quàm gemina annorum decade Cameneci rupem ditione Turcarum, inermi planè manu penitus emoviſſes, etiam hunc Lapidem, cui ſecura incumbere poſsit Sacrorum & Regni integritas, in Præſulei honoris culmen conatu regio moveres.

Sed Tibi ante omnes felicitatem hanc debemus Antistes Optime; quòd Te venerari ut Patriæ Patrem, ut communem Diæceseos nostræ Parentem amare, & vigilantissimi Pastoris voci possimus obsequi, grex fortunatus. Par celsissimis Tua virtus hac in Cathedra debuit eminere, ad quam aliis voto aspirare concessum. Traxisti nempe, morum integritate & nata ad Supremum quodq; fastigium indole, Beatissimi terrarum Capitis judicium. Virtutibus proinde Tuis habe gratias, quod sacrâ purpurâ efflorescas, infulato vertice supra reliquos emineas, sacro Senatui grande Numen intersis, Poloni Orbis fata, populorumq; salutem circumferas in manibus. Ad aulam, indefessa obsequii continuatione, grandibus in Rempublicam meritis, AUGUSTI nostri pectus, illam clementiæ Regiam subintrâsti, penitiùs. Suspexit in Te Argus ille in Patriæ, suorumq, commoda oculatissimus, non variantis Candorem animi, studiorum & voluntatis innocentiam, felicitatem in benè cæptis, in promovendis constantiam, strenuam in perficiendis efficaciam, in omnibus moderationem. Vidit hæc omnia, ut egregia amavit, admiratus ut rariora. Impositam proinde sibi sensit placidam quandam necessitatem, ut sacrâ Infulâ decreverit Tuorum magnitudinem meritorum coronare. Iterum ergo virtutes Tuas æstima Præsul, quæ Te in sacro hoc locârunt fastigio, & quód ipse Tibi suffragium fueris ad Honorem. Quanquam ad dignitatem

hanc,

hanc, præter Te ipsum, & recte factorum conspirationem quandam, plurima sunt quæ Tibi Calculum porrexerunt. Habes ab Illustrissimis natalibus, candidum, hoc est venerabilem ipsa vetustate & senio, Triumphalis familiæ, Lapidem, qui maximas quæcunq; Aras consecrare potest. Sacro isti Honori ipsa nascendi felicitas præluſisse videtur, & fecisse omen IOANNEM CASIMIRUM BOKUM Divorum templis & altaribus, Præsulum Basilicis, primum olim Lapidem destinatum.

Fastigium quoddam felicitatis est,
ipsiusq; Honoris prima velut dignitas,
nulli præterquam sibi debuisse Honorem.
Iacent plerumq; Fasces,
alienis proiecti manibus!
Misera dignitas!
quam vel extorquet ambitio,
vel adulatio turpis emendicat.
Maximum est, ex se cæpisse:
sibi omnia incrementa debere,
quædam Honoris Gloria.
Imo divinum id,
a se habere, quidquid magnum est.
Tibi, quia virtutibus Tuis Honorem debes
ANTISTES Magne.
Plurimis iam eras maior titulis,
tam vacuus ambitione
quam plenus meritorum.
Magnarum enim est mentium,
ut honorum capaces magis quam avidæ,
publico esse iudicio velint.
Si Anaxagoræ, saxum quoddam igneum
Sol est,
hunc se probat avitus Lapis Tuus,
non aliunde lucem derivans,

Sed ut Titan, qui sua se luce coronat.
Suffragium tamen adiecit Patria,
ne ingrata videretur.
Rarum hoc moderationis tuæ elogium,
quod virtute dignitatem quæsieris:
& hic sanctitatis ipsius Honor est,
præclare factis involare in fasces;
vitâ ad imitationem & prodigium compositâ,
Præsuleam invitare vittam.

Iam quo sole primam editus in lucem es, terrarum commodo Antistes Maxime, placet palàm facere. Non parvo fonte emergit Nilus, statim septemplici ostio fecundas diffundit aquas, ut beatam Ægyptum faciat. Illustrissimus Progenitor Tuus IOANNES HENRICUS ab Alten BOKUM, Magni Ducatus Litvaniæ Dapifer, Artileriæ Regni Generalis, Capitaneus Zavichostensis, illam Heroum Patriam, Bellatorum altricem, Matrem Triumphatorum Curlandiam, ita meritis, famâ, honoribus impleverat, ut suam complecti magnitudinem non potuerit. Deduxit proinde Illustrissimam in Polonias, Coloniam, ut nova daret amplissimo regno, non acciperet incrementa. Celeberrima Avorum Proavorumq; Nomina, silentio, quo Numina solent, veneror. Non refodio triumphales victorum cineres: Vixerunt omnes tanquam redivivi in Illustrissimo Parente; hic in Te superstes, de fatis triumphum agit. Admiratorem, laudatoremq; fortitudinis meruit habere, Divum illum Ternionem, Potentissimorum Poloniæ Regum, IOANNEM CASIMIRUM, MICHAELEM, IOANNEM Tertium. Quan-

tum

tum est, à Principibus tantis probatum æstimatumq;, fuisse! Nullum imminebat Patriæ periculum, quod non adiret, imò proprii obiectu pectoris frangeret. Tonabat, fulminabat in hostem strenuus Generalis, & per luculentam suorum stragem, Iovem Poloniæ Tonantem barbarus adorabat. Tot Regum triumphalis Commilito, æquè in apertas Mortes, ac in gloriæ partē Ductores victoriosos non segni passu sequebatur. Consenuerat planè in Castris, tota ipsi voluptas in præliis: tunc se maximè Dapiferum Magni Ducatus æstimans, cum vitam & sanguinem, fortunas & opes cruento Gradivi palato, in triumphale obsonium daret. Nec adhuc totus videtur obiisse insignis Heros: viva infracti animi simulacra reliquit in bellatoribus Filiis. Arcades ambo, & duo belli Fulmina; par nobile, atq; inter bellorum incendia, fulminantisq; Martis tempestatem, illustrissimum. Illud deniq; sit exaggeratæ in Heroè magno fortitudinis encomium, quòd sub Czarnecio, illo Svecorum fulmine, Poloniarum Fabio, Patriæ labantis Statore, gloriosè triumphaverit Commilito, tam præclaræ virtutis heres, quàm alti plenus sanguinis. Corde magis, & capite Lapidem hunc ferebat semper STEPHANUS ille, quàm olim toto corpore saxorum imbrem Protomartyr. Nec Tibi Antistes Magne, minor animus: Leone progenitum Te palàm est. Nullius supercilio terrefactus, strenuus pro Numine ages & cælo; pro Religione, & Orthodoxa fide, Termino

B DEO

DEO stabis immotior; pro Libertate avita, pro legum integritate murum Te oppones adamantinum. Agnoscet Te Polonia Bellatoris clarissimi sanguine, in sacra Toga; Militantem pro aris Heroem in Infula: sic omnia Pastor vigilantissime propulsabis à grege discrimina, ut nullus possit esse timori locus: ita Libertatis bono consules, Patriæ providebis oculatissime Senator, ut detrimenti nihil, Te defensore patiatur. Tam fortunato Parente prodiisti ad Infulas Præsul! Iam quanta Genitrice ad vittas Manum protuleris è fasciis, vide. BRANICCIA fuit, Nomen cum titulis & honoribus natū. Hic Scipiones Poloniæ, quibus innitatur secura; hic amplissimi Senatores, quorum consiliis vivat; hic Bellatores, quorum fortitudine sit infracta, & hostibus metuenda. Hic genus immortale viret, multosq; per annos stat Fortuna domus. Quidquid decorum & splēdoris recenset Patria, huc felici alveo influxit. In hac stirpe ipsa Regum Serenitas accendit meridiem, coronato IOANNIS III Clypeo. Eminentiam Familiæ attollunt Maciejovii, Sacri Senatus Purpurati: Ducum Ostrogiensium Mitræ splendorem geminat: Vapoviorum ingentia Nomina, triumphali Arbore, Trophæo verius sub nubes vehunt Prosapiæ vetustatem, ipsi coævam Poloniæ: & quod Illustrissimorum Natalium fastigium est, Maternum genus tuum, Præsul, cælestibus Beatissimi Adolescentis STANISLAI KOSTKA, Tutelaris Poloniæ nostræ Genii, honori-

floribus consecratur. Tantum est BRANICCIA Matre in lucem preferri ad Infulas, ad pedum, ad Purpuram! ipsamq; cum Divis Indigetibus, sacros inter cælitum ignes colere affinitatem! Quæ verò, & quanta decora in Tuum profluunt Nomen, Antistes ex illo domestici ab antiquo Senatus Rubicone, gemmeo Poloniæ Hydaspe, aureo in Patriæ, Cæliq; commoda Pactolo, chalybeo in hostes amne, Flumine illo Magno LUBOMIRSCIANO SRZENIAWA: hic penitùs Oratorum flumina sorbentur, fontes siccantur eloquentiæ, exhauriuntur Poëtarum Venæ, si quidpiam adferre laudationis præsumat audax temeritas, ut LUBOMIRSCIOS attollat, qui supra omnium sunt eluctati ingenia, omnibus altiores steterunt encomiis. Grande elogium sibi est, Nomen hoc Illustrissimum, laudatur amplissimè, si profertur, nō nisi ad immortalem famam, omnisque ætatis admirationem. Celsissimi sunt Sacri Romani Imperii Principes LUBOMIRSCI, ut nullus audeat, etiam pernici volatu mentis, ad tantam pertingere sublimitatem. Tumet alto Drusorum sanguine purpureus hic Rubicon, & sacrum Tibi pingit Muricem, ut faciat Dibaphum. Prosapia hæc augusta est, non veteris tantùm Romæ Imperatoribus effulgens, sed nupero Serenissimi Neoburgici Principis connubio in Austriacam, hoc est Cæsaream, felicissimo ad invidiam fœdere, invitatâ domum, tantùm non totius Europæ Majestatibus, & soliis illigatur. Quantus in Te

derivatur fulgor à Tergemina POTOCCIORUM CRUCE: Domus hæc una ex Principibus familiis, virtute consenuit, & honoribus, amplissima est dignitatum Regia, perennis quispiam Patrum Patriæ Senatus, Poloni Martis delubrum triumphale, Imperatoriæ Clavæ constans sacrarium, omnium deniq; honorum, Curulium, Trabearum, illustre neq; deficiens unquam ærarium. Adverte Præsul, quâta luce undiq; circûfunderis, qui Te circumstet splendor, quocunq; serenantem omnia vultum porrigas? Etiam Rosæ Męciniorû, purpuræ Tuæ intendunt auroram. Expressus multiplicia per tormenta è pectore nostri Venerabilis Patris ADALBERTI MĘCINII, Martyris in Iaponia sanguis, præsuleum consecrat Muricem. Adeò propinqua cum cælitibus cognatio Tibi est, & Superis conjuncta nexu consanguinitas! Adverte Præsul Optime, quantis & quot titulis Societas Nostra, Tua esse debeat: Si KOSTKAM, & MĘCINIUM nostros, inter sanguinis alti decora recenses. Innectunt se Tibi adhuc vetustissima; & ipsis æstimata Regibus Olesnicciorum nomina; à quibus cum Senatorio sanguine imperterritam dicendi Libertatem, Zelum pro Religione periculis quibusq; majorem, defensorem, à potentibus oppressæ miserorum calamitatis animum, ab illo maximè Cracoviensi Antistite, derivâsse videris par majoribus Tuis Præsul. Kurdwanoviorum Caput, ut pote spei publicæ promontorium, & omnis literaturæ gazam pronus veneror:

quæ

quæ jam ab illo Minerva in vastissimum Tuum caput immigraverit, Iovem appello Lapidem. Tot tantisque majoribus editum in lucem in omnia planè virtutum exempla, & decora omnia, natũ Te beata nascendi felicitas voluit. Et pulcherrima necessitate, totum hoc Tibi imperas, & prõptus facilisq; præstas, quidquid Divi Prædecessores fuere. Quia verò cognatum Tibi vides, quodcunq; in Honorum Republica fuit eminens, niteris jam ad parem, ut virtutum ita dignitatum celsitudinem, ut superare possis.

Metire; si potes Calame
adeo vastum sanguinis Illustrissimi Altum;
quo ad Petri Ratem
Navigat Præsul.
Imo desine ab inceptis audacia!
si immenso hoc Pelago,
cum penna Icari times naufragium.
Altius est profundum hoc,
quam ut illud sublimes conceptus assequantur;
aut in venerationem se demittat,
styli gravitas.
Non lubrico & fragili fundamento
stetisti ANTISTES:
ingens cum Nomine magno saxum est,
quod Tibi ad Honorem
primum hunc insternit gradum.
Palam est:
auream Præsuleo Corpori
infusam esse Animam,
pro cuius pretio Gryphs maternus excubat.
Muneris Pontificii dignitate.
imo & morum innocentiâ,
ex Angelis unus es;
Cuius ornamentum, Lapis pretiosus.

C For-

Fortunam in Te adorat suam
Premisliensis Cathedra:
non levem illam & instabilem,
sed gravitate firmam,
& immobilem patritii Saxi pondere.
Circumaget se in populorum commoda,
marmorea Sphæra hæc,
Nulli gravis præterquam vitio:
Rotâ hâc Diœcesis provehetur felicitas.
Quidquid contra Religionem assurrexerit,
premet, opprimetq;, proteretq; nativo pondere
Ita patrii de vertice Saxi Pastor
pronus adoraberis à populis:
ita fortunatus Lapidis Tui iactus
felicitatem nostram attollet,
veluti Basis & Fundamentum.

Hac ergo è luce Majorum ortus, diem, quam aliquando accendas Patriæ, auspicare. Primam, summorumq; capacissimam ætatis auroram, in sapientiæ sole educare, prudens erat nec molle Parentum consilium; alacri Tuæ indoli tam expetendum, quàm universis, ad quos Tuæ industriæ felicitas, olim pertineret, necessarium. Tulisti primò ad Varsaviensis Minervæ cultum, magno è sanguine prognatam indolem, ut in illo amplissimo Poloniæ Theatro, consiliorum Curia, triumphantis Libertatis Campo, ad dignitatem Senatoriam adolesceres, quâ nunc emines. Accepit erudita arena, Tuum, hoc est illustre ingenium; ut limatius usui publico redderet. Sed grande simul pignus, inter tot beneficia reponendum accepit. Hic Tu tenerrimus simulq; retinentissimus scientiæ cultor, ingenii ubertatem, ad omnem literarum fructum provocâsti. Hic Tibi
ludo

ludo literario læta nec dissoluta pueritia, acris nec ferox Indoles, vivax & non præceps discendi ardor. Non Te severius Magistrorum supercilium, docto in stadio, sed domesticum calcar, & generosa animi celsitudo excitabat. Ita enim arcana quadam felicioris naturæ vi, & non jacentis animi impetu, in literarum decus incubueras: ut non contentus communi sole, ad Sapientum lucernas diem accenderes menti perspicacissimæ.

Eminebat tamen illustrius in sublimi ingenio, studium pietatis; quo solo inter id ætatis conditionisq; adolescentes, major videri poteras, nisi reliqua omnia eximium Te fecissent, & velut jam Infulis destinatum. Plenissimum Musis pectus, virtutem insuper admiserat; ut gemino hoc Numine occupatum, ætatis præfervidæ vitio non vacaret. Renidebat vultu pulcherrima teneræ indolis aurora, verecundia. atq; sub animo diem innocentiæ educari, non obscuro indicabat argumento. Agendi versandiq; inter ætate pariles, non par cum aliis Tibi licentia: quia è decori honestiq; lege, ita componebas mores, ut virtutem ex Te discerent, qui nondum literas perceperant. Eliciebat ruborem audaciori adolescentiæ, cautissima illa educatio Tua; cogebatq; virtutis colorem à fronte Tua trahere omnes, qui frontem amisissent. Adhalabat flos ille niveus odorem innocentiæ; cui affine quoq; cum Liliis decus contigerat, Nomen cum merito, Liliati pudicitiæ Principis CASIMIRI: apparebatq; non

posse immaturam esse probitatem, in tam Indole excellenti.

Poterat jam, quicunq; Te accessit, oculis vel alloquio, spes de te ingentes, in arcana futuri temporis præmittere. Promittebas enim Virum in puero, quem olim aræ Præsulem adorarent, quem Religio vindicem deposceret, quem hæresis improba formidaret, quem Ecclesia votis omnibus optaret Defensorem. Hærebant gaudio pariter ac admiratione suspensi, illi adolescentiæ Tuæ Chirones; attoniti rarissima indole, tam felici ingenio lætissimi, tanto propè alumno tumentes & superbi. Talia Tu etiam tenera sub ætate, ac literario in pulvere nutriebas omina, quæ deinde felicissimè aperuit eventus.

Nobilitata deinde ingenio Tuo Italia, habuitq; quod miraretur in Te Supremum Orbis Caput. Aperuit se Tibi, ad humani generis emolumentum sapientia illa Romana: quid enim non, adeò publicâ exercereris arenâ, cujus institutio bonum fuit publicum? An non dulciùs gustum tibi condiret eruditio, quæ publicis hauritur è fontibus. Hic demum, quid erecta parque, sibi nacta theatrum indoles possit, posueras in aperto. Palàm erat, optimæ surculum arboris, in peregrino quoq; solo statim cum fructu esse. Neq; enim Tu otium sterile, segne desidum negotium admiseras, cui suavissimæ erant feriæ, generosâ solertiâ colligere, quidquid multi, suo & publico nescirent cum damno. Certare

vide-

videbatur labor cum ingenio; & quasi scientiarum laudem, magis contentioni exporrectæ, quàm excelsæ capacitati deberes, nullum diem non vectigalem faciebas sapientiæ. Iungebas interim cum pietate doctrinam, cum splendore modestiam, laborem cum ingenio, ab hoc magnus, strenuus & efficax in agendo, futurus ab illo. Incedebat divinus ille animus æquè politæ ac eruditæ gentis per vestigia. ut majora faceret, & pæne obtereret, plus quàm humana omnia sciendi felicitate ac facilitate. Accendebant doctiorum exempla celeres mentis impetus, quorum tamen Tu Præsulum felicissime, non tam imitator quàm æmulus accesseras. Quis hic calamus laudatissimos conatus, avidum sciendi pectus, pro vero & dignitate depingat? Dixisse sufficiat, tantam fuisse excitatæ mentis industriam, tantum inflammati pectoris fervorem, tantam severioribus maximè in literis diligentiam & pertinacem sedulitatem, ut quotidie majorem eruditionis accessionem, quàm ætatis posses recensere. Quidquid floridi Attica & Romana suada in suis colit Elysiis, totum id cum Gratiis omnibus; cum lepore & venustate, in amænissimum pectus transtulisti. Quidquid profundi Aristotelis Euripus habere potuit, pleno hausisti animo; quidquid utriusq; prudentia Iuris complectitur tot Codicibus, vastissimo comprehendisti animo: demũ quidquid Sol Aquinaticus illustre, præclarum, sublime censet, totum cum scientia diviniore in Te immigra-

vit, & felicissimo sidere illapsum est. Fidem habet scrutator ille arcanorum naturæ, esse Lapidē admirationis, qui mutos, & elingues suos faciat spectatores: talem omnino Patritium Tuum Lapidem, in oculis habuit Supremum Caput Orbis, quod Te spectare sine admiratione amplissimarum dotum haud potuerit, & penitus verba deficerent Oratorum ac Eloquentiæ patriam, quibus Te attollere ad invidiam exterorum possent. Adeò plenum omni eruditione caput non dimisit sine Laurea; quod reliquis omnibus docta in arena palmam præripuisset triumphaliter. Certè præluserunt ad Infulas pulcherrima illa doctarū præmia mentium, paremq; vittis omnibus frontē laureatam fecerunt, quæ jam tunc Infulata esse merebatur. O fortunatè suscepta itinera! o profusos utilissimè sudores! Accessisse puto novam terris illis jactantiam; posse eos viros educare, qui cuivis gloriæ pares essent, nisi hæc ubertas felicissima non tam exteris solibus, quàm feracissimæ Tuæ indoli sit tribuenda.

Postquam sic emeritum caput ornavit Roma, nè injuria magnis virtutibus Polonia videretur, conatum intendit, ut Te sacris fascibus decoraret. Invitavit Cracoviensis Cathedra tot laureis onustum verticem, ad suarum Ternionem Coronarum non vano omine, hanc præclarissimis in Patriam Ecclesiamq; meritis olim fore Coronidem Supremam. Primatialis Gnesnæ Basilica Lilieto suo illibatum Ioannis candorem. & Lilia Casimiri

ri implantavit. Tandem Varsaviense subsellium, tot decoribus primis gravem excepit, ut altius efferret ad infulas.

Ita gloriose in Patriam rediisti,
pæne Tui desiderio tabescentem, nondum Præsul
sed post Laureas, omnem Tiaram meritus.
Respiravit Te recepto,
cui vitam inspirâsti,
Plena scientiarum & vivax Anima.
spectavit triumphales Tuos plausus
Romanum Capitolium,
recensere palmas debuit Polonia
Nobilissimus scilicet victoriarum campus.
Et reddidit Te nobis depositum grande,
omnigenæ Dea Iustitiæ Roma,
invita potius esse malens quam iniusta.
commodaverat enim Te Patria,
non donaverat Italiæ.
Iterum tamen illo redire coactus es;
postquam e vivis abiit,
salus Patriæ, Gradivi cor, Anima Regni,
qui tantum ideo nasci debuit,
ut sero terras relinqueret,
IOANNES III
Rex Poloniæ & perennis dolor.
Post Regis Parentisq; sui Fata,
effuderat in sinum suum Patria,
Luctum, dolorem, lacrymas,
ut per Germaniam Italiamq; circumferres.
Volvebat sese per tot imperia
Patritius Tuus Lapis,
ut intimo dolore corda contereret,
exprimeret lacrymas,
Saxiq; mortualis memoriam imprimeret,
quod Europæ totius cor oppresserat
Vistulæ dolentis luctus dicam, an fluctus
Tiberi & Regno miscuisti,
Vniversam Italiam & Germaniam
in Societatem doloris evocâsti;

 nam

nam paucioribus oculis defleri tanta ſtrages
non potuit.
Soluta eſt in lacrymas Petra,
ſcilicet INNOCENTIVS XII Pontifex,
integrosq; luctuum fontes effudit
ſupra illius tumulum,
qui triumphalibus armis effecit,
ne Orthodoxa Religio ploraret unquam,
tantum Biſtonio ferro non oppreſſa.
Excuſsiſti lacrymas LEOPOLDO,
& gemitus ille Cæſareus fuit,
Supra ſui quondam martis coronati buſtum,
largo profuſus alveo.
Non tam Danubio ſuo
quam luctibus mergebatur Auſtria.
ſorbebatur lacrymis Vienna,
poſtquam ab ore Tuo accepit,
Defenſorem ſuum & Liberatorem cecidiſſe!
per quem ſtetit utraq;.
Venetus Adria,
ita magnitudine planctuum intumuerat
ut lamentorum gemituumq; copiâ
Maris frena prope ruperit.
Exaruerat æſtu doloris Florentia
tantumq; mortuales cupreſſos
ſupra triumphalem ſparſit tumulum.
In Lapidem, cum Niobe abierat Sabaudia,
Parma, Modena, Mantua;
& reliqui Principatus dolentis Italiæ
mæroris atrocitate concidebant!
quia Legatus funebris
lacrymis perorabas, & dolore,
ut luctum communem exprimeres.
Saxum eſſe debuit ſine ſenſu,
cui graviſsimâ & ponderosâ ſuadâ
velut Lapide
lacrymas non extunderes.

Ite-

Iterum ergo Te accepit Italia, Imperium, Roma; Legatum à corde mærentis Poloniæ, lacrymas totius planè Europæ, circumferentem per populos, Urbes, Provincias. Rarissimum hoc Eloquentiæ Tuæ prodigium inter sua numeravit miracula Parens Orbis & Urbium; quòd illum in memoria omniumq; animis vivere immortalem faciebas, quem lugubri stylo, inter ipsa tamen funera vivaci, abesse à nobis mortuum nuntiabas, qui Poloniæ vita fuit. Melior nihilominus fuit luctus, quem dicendi svavitate condiebas: neq; occidisse, diu putabatur, tam ingens sidus, quod in meridie meritorum de Orthodoxa Religione, illustris ponebat suada. Revocavit proindeTe Polonia quàm primùm, licet jam summos in Polonia Honores pararet Roma. Neq; pollicebatur tantùm, sed contulit. Ad signaturam Gratiæ & Iustitiæ invitavit Referendarium; quia grata & justa esse voluit, debuitq;; aliàs contra utrumque peccatura, quod foret à sua sanctitate abhorrens. Iam destinabat Infulas, offerebat Tiaras Præsulum, ut abstergeres lacrymas, quas pro gravitate doloris, pro Regis exstincti dignitate, ubique elicueras:

Redijsti in Patriam Tui desiderio anhelantem; & primo planè ingressu Poloniæ limites, simul AUGUSTI II. Regiam, imò pectus iniisti. Spectavit in Te dotes, quas laudavit cum admiratione Roma: lateri suo admovit penitiùs, & jam cor possederas. Divinum quidpiam inesse Tibi

 in

intellexit Princeps oculatus, siquidem arcana Regni in Tuum effudit sinum, & cor Regis velut in manu posuit. Secretarium Regni à tua moderatione ipsum Te impetravit, ut haberet pectus, in quod securè descenderent profundæ mentis abdita. Non jam sub Rosa, sed sub CASIMIRI Lilio latere voluit abscondita animi. Iam in aula Regis, quam tuis moribus consecraveras, antequā Præsul esses, nihil non sanctum, nihil non exemplo, & imitatione dignum exhibebas. Non alius Tibi unquam vultus fuit, quàm animus; Candore suffundebas, sine fronte dolos, sine pudore fraudes aliorum, & verborum insidias, apertæ mentis innocentiâ detegebas. Eadem Tibi mens fuit, quæ lingua, idem sermo qui animus: & quod in aula miraculum est, sine fastu, sine fuco idem in ore, qui in corde, spectabaris ab omnibus. Iactabat se quidam apud Euripidem, quod à magistris nihil aliud didicerit, quám mores simplices nihil simulatum, fucatum nihil. Tu sine jactantia, moribus integerrimis, neq; ambiguo sermone, sed candido, & qualem funderet innocentia veriq; Amor, nihil fallaciter, nihil insidiosè, nihil simulatè, utpote totus ad candorem natus agebas, proferebas. Fictiones & dolos, ad servilia & minimè liberalia relegasti ingenia, totamq; candidis moribus vivere fecisti aulam. Plerisq; in eo tota fallendi ratio, non dare consulentibus, quod deposcant, sed quadam caligine magnaq; promissorum varietate suspensos sic dimittere, ut quid-

quid

quid attulerit casus & cæca sors, prædictum à se putent, & impetratum. Tu semper consulebas in melius; habuit per Te quidquid deposcebat calamitas, nullis noctibus inumbrabas, involvebasq; candorem animi, pollicita variabas nunquã, solisq; impetratis Tua svauitate muneribus & gratiis fuisti vates, & non fallens oraculum, quicunque se in Tuum conferrent sinum. Moderationem animi, habitosq; velut sub freno affectus, non potuit satis mirari aula, quam ad egregios Tuos mores componere laborabas. Sermonis elegantiâ amorem persvadebas virtutis: Sed vita magis intergerrima, de qua improborum etiam commenta fingere aliquid vererentur, tanquam non inventura fidem, nisi apud similes. Quid illa mentis excelsæ demissio, quám sublimi pretio in animis Te ponebat omnium? Præclarissimæ dotes à natura & industria, supra reliquos Te attollebant, sed acclinis omnibus modestia, ponebat Te infra omnes. Non supercilio, non compositis ad fastũ verbis, a colloquio & felicitate agendi Tecum arcebas quempiam: omnibus tam facilis, quam gratiosus. Semper sibi præsens animus, mentis experrectæ vigilantia, circumspecta partes in omnes prudentia, permista gravitati serenitas quædam in vultu & oculis, in sermone, conditum venustate, & gratiis verborum pondus, in cogitando profunda celeritas, strenua in perficiendo & felix efficacia, in omnibus integritas, latè singulis, sed ante omnes Regum AUGU-

STO & Augustorum Regi, Te commendavit. Præsulem proinde Te voluit clementissimus Princeps, quia semper dignum supremis quibusq; Infulis Tuum suspexit Caput. Annuit votis Regalibus Roma & Premisliensis Basilicæ Fortunam, Pontificio Lapide perennem fecit.

Ergo
ingredere fortunato passu Cathedram
nullius appetens,
omnium capax Honorum
ANTISTES MAGNE.
Annus hic est Annus Gratiæ,
qui Te IOANNEM
primis initiat Infulis,
ad Maiores olim,
imo Supremas.
Circumdati Flores
CLEMENTIS XI.
Liliatum Equitem Innocentiæ
CASIMIRVM ambiunt.
Ita semper amici Lapidibus
Albani Montes!
AVGVSTVS II. Rex fortunatus,
cuius cor possedisti,
Serto Te coronat suo,
quod Regio virescit Campo.
Magno Cancellario succedis,
hoc est Gemmæ,
Lapis pretiosus.
Ad Lydium hunc explorata est virtus tua,
& pretii valorisq; Summi inventa.
Sic vota omnium,
sic Tua merita volunt,
ut præstantissimus Lapis Tuus,
Regni Annulo inseratur.
Dux Tibi Severiæ præivit ad Honorem;
premes pari passu vestigia;

donec

Nec longa intercedit mora;
aut per ambages emetiendi tramites.
Vnum promove passum:
Fastigium tenebis.
En Magnus nuper ANTISTES PREMISLIENSIS
SVPREMVS CANCELLARIVS,
mox CRACOVIENS S PRÆSVL,
cum tellus non haberet culmen,
in quod parem omnibus titulis virtutem eveheret,
vix prælibato honore
ad Superos properavit.
Moras in humanis pati noluit,
ut Tibi diuturnos fasces relinqueret.
Interim dignare capite Tuo Premislienses tiaras:
Serena oculo aras orbitate pullas:
Consecra aditu optato limina.
Si vestigium impresseris;
grande monumentum posteris reliquisti.
Deducit Te omnium in animos
Nomini Honoriq; Tuo
triumphaliter militatura
Minima IESV Societas;
tam Petræ iurata,
quam Lapidi.
Sequuntur Te votis & plausibus
Diœcesana quatuor Collegia,
atq; in his Provincia integra.
Prostraverat olim excussus e muro Lapis
Divum Parentem nostrum
IGNATIVM.
Tuus attollet benevolentia singulari.
Ita Premisliense Tuum Collegium sperat.
Geminus Iaroslaviensis Collegii
IOANNES
solas a IOANNE gratias,
pollicetur sibi.
Dolorum, & lacrymarum Matri,
absterges lacrymas solatiis:
surgentemq; illius Honori Ædem,

ded i.

deduces ad faſtigium,
ut Mæcenas ;
conſecrabis,
ut Præſul
e voto omnium.
Aſſurgent ſub Lapide Tuo Montana Croſnæ,
ut profundius ad pedes cadant.
Gratias polliceris Nomine.
PRÆSVL OPTIME ;
& implebis, pro innata Tibi benevolentia.
Noſtrum erit parare affectus
obſequiorum aſsiduitate :
illosq; magnis virtutibus precari Honores,
quos mereri non deſines.

Iam liberiore impetu, ſpirituq; in Tuas laudes effudit ſe Eloquentia, omnemq; movit lapidem, ut niſu elogiorum Tuus ſuper aſtra Lapis efferretur: licebit etiam Pòeſi, quæ proniſsima voluntate, tantùm non ambitu obſequendi, arctiús, quàm numeris, legibusq; ſuis devincta eſt honori, magnoq; Nomini Tuo, excurrere in plauſus. An enim Muſis, ac Pòetis fontes ſui tantùm ex Heliconiis rupibus eliciantur? non uberior de Pontificio Lapide vena affluat? Intereſt Tua MAGNE ANTISTES, ut, qui omnibus facultatibus, necnon ſcientiis Tuarum materiem laudum præbuiſti, omnibus favere pergas; proinde ſereno aſpectu, manu benevola excipias

AUGURALE
CARMEN.

ALBANIS

ALBANIS, quæ saxa pluunt de montibus? auri
Deciduos imbres, horas adamante rigentes,
Chrysolitoq; dies, stillataq; secula gemmis,
Quis non disposuit voto: CLEMENTIA, PETRI
Cum sedet ad clavum, patriis & montibus, almum
Astra diem paritura micant? Versare beatas
Debuerat fortuna rotas; sed decidit ingens,
Immensum, æternis saxum revolubile gyris,
Quod neq; Deucalion jaceret, nec volvere posses
Sysyphe, circumagat jugis, quod gloria tantùm
Cælifer huic Atlas cervicem subdere nollet.
Plùs laudum monumenta gravant, quàm machina cæli.
Vix tellus oneri satis est. nec mole fatiscit,
Sed Domini gravitate; tamen sub pondere gestit.
Dicite Mæonides, causas: qua caute revulsus:
Quo sectore lapis tantum formatus in orbem;
Quantarumq; rotet sese per symbola rerum?
Deucalion mersi reparabat naufraga mundi
Secula; par hominum sed enim gens tota fuere,
Relliquiæq; patresq; hominumq; exempla. Quis ardor
Pectora solicitat? mentes quæ cura fatigat,
Exstinctum renovare genus? Dolor anxia mordet
Corda Promethidæ; dubiis sed casibus, acer
Aggreditur mala. Femineo nec Pyrrha dolori
Cedit, ubi studium communia damna perurgent.
Consilium pariunt casus, monitusq; Deorum
Frusta jubet lapidum tanto pro germine spargi.
Ille prior sparsit: dura semente, virorum
Progenies, frugum veluti consurgit in herbam,
(Sic vatum cecinere tubæ) succrevit. Adulta
Necdum forma viris: sensim pubescere saxa;
Inq; viros sensim voluit natura reduci.
Pôst, ut erat propè ferali jam frigida leto,
Interspersa genas, neglectum incompta capillum,
Egeßit lacrymas Epimethis livida planctu:
Quin riguit mærore amens; nec pectore curas
Excutit. Hinc quanquam veluti Sipyleia nutrix
Stat lapidosa fere, vivum sine nomine saxum:
Semesos raptat lapides, gremioq; recondit,

Clementis XI. de Gente Albanorum, insigne, montes, quibus imminet stella: Præsulis verò saxum molare.

 Ardua

Ardua proq; suo jactat mox semina sexu;
Mollis at è saxo (quis credat?) femina crevit.
Arcibus è Superûm vidit reparabile damnum
Nobilitas, & Honor; *sed opus derisit uterq;*:
Saltem (*inquit*) gemmas, aurumve animare decebat
In formas hominum, si non adamanta. Libebit
Dissimilem posthæc operi concedere massam.
BOKVMIAM meditor gentem: fingentur obryzo
Corpora, Phæbæis succendam pectora flammis,
E radiis animæ vivent: de semine cœli
Plurima per fibras, pectus, præcordia, mentem
Materies ibit, virtusq; arcana, per artus
Diffluet, astrorum. Non est metuenda Promethei
Pæna. Gregale genus vulgi, terræq; propago
Saxea sit. Lapides operi si terra negabit;
Materies sit limus, aut sint robora silvæ:
Nascentur meliore astro, quas cogito, mentes.
Serò Deos paritura, statim natura laboret.
Deucalioneæ non est hæc natio stirpis.
Principium, trahit e cælo virtute marita.
Dixit, & è gazis ingentia munera profert,
Aurumq;, & gemmas, & vecta monilia cælo,
Vt placitum maturet opus. Iam fulva metalli
Semina promebat, baccataq; pignora conchæ;
Theßala sed nimiùm visa est sterilescere gleba;
Sit frugum licèt illa ferax, auriq; fodinis
Turgeat, haud didicit pretiosis gignere mentes.
Fecundum placet ergo solum, quod magna Quiritum
Nomina, & insignes animas, belliq;, domiq;
Parturit, & nutrit Divino pignora lacte,
Quærere: ab Emathiis nec se priùs extulit oris,
Quàm sacro astriferi de monte revulsit Olympi
Saxum ingens, quod honor teretem formavit in orbem,
Festinaq; manu vates præsagia sculpsit.
Summi inciduntur fasces? mollescit honoros
Ad fasces, quasi cera lapis, redditq; fideli
Vulnere, quas variat properatum celte figuras.
Nomina sculpuntur Patrum, seriesq; nepotum?
Et rude se pulchra sentit sub imagine saxum.

Auget

Auget honos formam, pretiumq́ è nomine manat.
Huc & Religio niveis celer advolat alis,
Fronte pudens, operosa manu, cui pectore multum
Numen, & ore sedet. Nil segniter ausa, figuras
Accumulat decorum, transfert in saxa tiaras,
Describitq́ pedum, lapidem quoq́ Præsule toto
Aggravat. Ex ostri rubuit splendore molaris;
Sed sacras gelidi flammas hausere rigores.
Vix ea: librat honor saxum, neq́ pondera sentit.
Nempe leves fortuna dedit super æthera saltus;
Si Superûm favor, & placidi indulgentia fati,
Nec fictum populi votum superaddidit alas.
Ergo suis honor illabens per inania tectis,
Sublimi devecta tholo monumenta reponit.
Applausu fremit aula: novis sculptura refulsit
Dum signis. nec jam tacitis minus ausa susurris
Aures fama subit; clamoribus insonat æther:
Immortale genus nasci, cui saxa, trophæum,
Nec faustæ ruitura Domus insignia, firmus
Fundamenta lapis cui struxit: tollet in altum
Fama, decusq́ caput, probrosæ ignara ruinæ,
Saxeaq́ innumeris durabit gloria lustris.
Interea grandem seras meditatur in oras
Nobilitas regina viam: nec segnis ovantes
Infrenavit equos. Terram sulcare pigebat;
Aëreis iubet ergo jugis carpenta citare;
Vnde plagas, geniumq́ loci, dignamq́ futura
Gente, oculo sedem solers censore notaret.
Præterabit ventos, despectat Nerea, campi
Latiùs excurrunt: nulla statione locari
Est animus; donec Lechiæ, Litavûmq́ decoræ
Curlandæq́ domus patuere. Hic (*inquit*) amica
Porrigitur sedes. auri si semina fundam;
Spargere si libeat gemmas: nascetur ab auro
Aurea, deq́ satis surget stirps gemmea gemmis.
Hæc ait, & pleno diffundit semina jactu,
Commendatq́ solo: Tellus fecunda virorum
Ne propera partum. lentis ex auctibus ortum
Magna trahunt; rudibus properum deducere cunis

 Præ-

Præcipitat natura ſatum. Sic ulcera terrræ
Exſiliunt: ſubitò nitidas quis condidit urbes?
Parturio ſacrisq; Duces, Heroas & armis:
Secula durabunt animos. *Nec plura. Ruebant*
Indomiti menſes, inſtabant menſibus anni,
Mu taq; collectis ætas prægnantior annis,
Millena & fetum trieteride conſtitit ævum;
Tum laßata annis, gravium quoq; mole laborum
Bokumios *Lucina dedit. Sed qualis Olympum*
Accendit Titane dies; non partibus orbem,
Illico ſed varias radio ſol imbuit oras:
Sic totam formata diu cognatio lucem
Nil cunctata moris, incrementumve reſumens
Fudit, Avosq; tuos, Præſul, niſi Patria claros
Suſpexit nunquam. Puerilem gloria neſcit
Vagitum, tumido quam nutriit ubere virtus.
Protinus emicuit, ſeſeq; per ardua tollens
Adverſis aluit mentes & crevit in armis
Impetus audendi. Veteres rugoſa loquatur
Muſa: Pater, quem fama recens, memoresq; tenaci
Mente ferũt populi, pace ingens, nec minor armis
Condit laude graves faſtos. Compendia Patrum
Soluſerat, virtutis apex, probitatis imago.
Quidquid habet pietas ſancto ſub nomine, totum
Pectore ſpiravit. Si cunctis impia triſti
Virtutes unquam Lacheſis concluderet urna:
Poſteritas, iſta de mente requireret omnes.
Bella tot, & varios placida ſub pace labores
Sic tulit, ut pacem rigidis ſervaret in armis,
Indutusq; togam laſſaret pectora curis,
Quas repetit Bellona ferox. Haud otia pacis
Emollire animos poterant, neq; frangere bella.
Quid timuit ſibi, pro patria, Regumq; ſalute
Solicitus tantùm? votis pectusne tetendit,
Vt per adoratas circumſona pompa curules
Surgeret? Obſequii ſuffecit gloria menti,
Quam verus lactavit honos. Majora mereri,
Nec tamen attolli, ſummum credebat honorem.
At probra, ſi virtutis inops ignavia raptet

Præmia

Præmia virtutum. Vecors super astra vehatur;
Sub chaos indecores animus opprobria trudunt.
Ille quidem titulis fulsit; sed culmina rerum
Porrexere animum cælis, & adauxit honores
Se magno; veluti radiis claratur ab illis,
Quos deicit Titan. Hausisti pectore totum
Antistes Patrem. quid enim peregrina petantur
Ad mores exempla, domi si patria virtus
Non exploratis peregre calcaria subdat!
Quis Tibi jam puero fervor geminare vetusta
Nomina Majorum, vivisq; reducere cunctos
Pigmentis Atavos? Vixdum puerilibus annis
Prima serenatæ lucis subriserat Eos,
Grandævam teneris probitatem miscuit annis;
Sed minor augustos ætas suffecit in actus,
Languoremq; senii non præstolata, vigorem
Ingenii pulchris præcox ad grandia virtus
Ausibus impendit. Simul ille, simulq; videtur
Et genita, & tandem parili crevisse sub ævo;
Quin procul, exsertis gradibus sua lustra reliquit
Non deses pietas. Monitor fuit ardor honestæ
Indolis, & magnus fixit calcaria sanguis;
Exemplisq; Pater (nec enim vis ulla perurget
Acriùs) hortatuq; pio stimulabat alumnum:
Hoc equidem claris debes natalibus, orbum
Stemmate, quod Superi vitam te nate vetarent,
Et solem libare Patrum veneranda senectus
Ad nos decrepitam ducit per secula famam.
Iam fasti senuere, graves iam computat annos
Non nova nobilitas. Pulchros jactantia casus
Si repetat; non vile genus lustravimus auras.
Illigat augustas felix cognatio stirpes,
Curlandosq; Duces, & regia nomina Suevûm,
Queisve Livo pendit prona cervice tributum.
De cõsanguineis radiant quot stemmata Volfis?
Si iactare velis: Lechicos, Litavosq; Quirites,
Fœdera quos nectunt, fumosa in imagine cernes.
Materno quantum (nã utrinq; coruscat origo)
Hausisti cum lacte iubar. Branicia faustis

Cursibus exsultat semper, necq; cespitat unquam
Gloria, quo gravior lustris, vivacior actis.
De senio nil labis inest. tam firma lacertos
Exserit, ut primò viridem pubescere credas.
Vapoviæ fortuna Domus se miscet Olympo,
Cognatos totidem, Proceres quot Lechia, censens,
Sic stabili virtute potens, ut dives Avorum,
Et tituli, vel opum. Domus hæc canescet in alto
Fortunæ gremio. Kostkarum, livida soles
Atropos exstinxit; sed tantos nulla fuisse,
Nonnisi quæ solem non vidit, nesciet ætas.
Ostrogios iunxere Duces connubia Kostcis,
Vlodimirum illis, cui Russia paruit, isti
Haliciæ Reges, pariter sceptrumq;, mitrasq;.
Nobilior quoties, in tædis Hesperus arsit,
Et cognata Eos? multo nam Cæsare turgent,
Et trabeas affines, Cæsareosq; nitores,
Cognatas cidares numerant, & signa Potentûm,
Hesperiis augusta plagis, qui iura dederunt,
Phosphore quicq; tibi. Pleno & Lubomirscius amnis
Vortice devolvit laudes. Plus sanguinis alti,
Virtutumq; vehit, quàm lymphæ turbida gemmis
Flumina huic cedunt. Fulvas Pactolus arenas,
Gurges hic ingentes animas, & nomina laudum
Plena parit. radiant eadem nam sidera stirpi,
Ostrogiisq; mitris. Affinia nomina demum
Si reputas, fulges utroq; Parente decorus.
Czarnecios memorare piget: vocalibus omnem
Garrula cantavit lituis, quos fama per orbem,
Mente Palatinum volves, cui tempora circum
Eviruit semper laurus. Seu Marte Suevos,
Seu domat ense Getas, seu Moscua sternitur armis,
Prælia dinumerat palmis. Quo messuit hostem
Ense, sibi laurus. Verax hinc fama vocavit
Sarmatiæ scutum, fulmen letale Geloni,
Spirans Heroum exemplar. Numerabis & Vri
Sub cœlum sublime caput, Lescinia ceris
Inscribit quod nate tuis Prosapia, summos
Prætervecta gradus titulorum. affine Deorum

Est

Est genus, & nostræ per proxima vincula genti.
Cætera non desunt. Penita hæc sub mente recōdes:
Tu tamen illustres generis sic conspice soles,
Sic gentilitiis iactet se gloria fastis,
Degenerem plebeia notent ne fata nepotem.
Et genus, & ceras, & Avorum nomina, cæcum
Esse puta fatum: mentem neq; casibus effer;
Ex te primus honor tibi sit, dubiæq; rebellis
Pone modum sorti. Patriis velut Icarus alis
Ah male summa petes! si famâ crescere, gazas
Si libeat farcire, sacros si prendere fasces:
Iudicio probitatis adi fastigia rerum;
Non vili obsequio levis assentatio nomen,
Lucreturve datis: probitas decernat honores.
Neu grave quærendis senium virtutibus opta:
Dum teneræ caluere fibræ, dum sanguine fervet
Spiritus, & firmis conatibus apta iuventus
Formam offert, animumq; ausis, operiq; lacertos,
Corruptor mentem neq; luxus fregit, amica
Dum iuvenum fortuna favet, panditq; theatra
Apta novæ menti, nat adhuc quæ sanguine puro,
Egregiis primum studiis consume calorem.
Diffugiunt volucres anni, frigusq; senile
Ardua non suffert: præceps in dura iuventa est.
Dis vernæ placuere rosæ. Vix luce renata
Se matutinus tetrico sol invehit orbi,
Frena rapit, moderatur equos, radiosq; ministrat,
Nec vespertinos cursus, lassataq; seris
Lumina promittit, spatiis. Trepidata Tonanti
Progenies domuit silvas Chirone magistro
Vix puer, inq; rudi lusit victoria telo,
Vt volucrum domitor, muros prosterneret Ilii.
Alter & in cunis angues, odiumq; novercæ
Præfocare potens cæpit cum luce triumphos.
Te pariter probitas nunc festinata reposcit.
Esse bonus sine tusse potes. Non ruga, sed ingens
Virtutes animus gignit. *Sic alta volenti,*
Ac docili præcepta dabat Pater. illico suasu
Excarsere fibræ virides, totusq; subivit

Magnam animam Genitor, sancti lex alta fuere
Majores. Violens animos hinc flamma perusit,
Impleret gentilitium virtutibus orbem.
Mox ubi Palladiis mentem sapientia gazis
Ditavit, doctæq; sedent sub pectore Musæ,
Maturumq; caput vittis, pietasq; senilis
Artubus in teneris tardantibus imputat annis,
Quòd lentis gradibus postes fortuna subintret,
Se longo varii glomerant examine fasces;
Vnus honos alium validis ut trudat honorem
Nisibus, & pulchrum de Te certamen anhelet,
Ambitio nec agat quidquam, fortuna sed ultro
Te sibi surripiat. Sacro jam Gnesna Senatu,
Vavellusq; capit, titulos Varsavia donat;
Sed probitas majora petit. Ceu pondera cautis
Mole ruunt repetente solum, sic tendis in altum,
Majestasq; sibi quærit super æthere centrum.
Nec mora: Præsuleæ caput insedere coronæ,
Quas non egestis cupidus mercare tributis,
Aut humili officio, precibusve; liceris honesti
Impensis venale decus. Quæ pectus inaurat,
Emisti pietate mitras: hoc purpura censu,
Hoc venit prælustre pedum, celsæq; curules.
Namq; ubi Donhofium Cracias deduxit ad aras
Par titulo virtus, & jam Capitolia Craci
Irradiat sublime caput, Premislia voto
Contendit Superis, & egentes Præsidis aras,
Pallentes trabeas luctu, mærentia sacra,
Et malè nutantes subducto Antistite mores,
Objecit cœlo, quin toto gurgite Sanus
Effudit lacrymam, stravere cacumina montes,
Omnia concordi Numen petiere precatu:
Sarmatiæ Patrem, solem squalentibus aris
Exorata darent astra. O mortalia nunquam
Difficiles ad vota Deos! sua munera terris
Tam promptè Superi donant; quàm justa precamur.
Mox Pietas, & Honor mox, Nobilitasq; venusta
Summorum genitrix decorum præconsulit astra.
Ast erat in fatis Fortunam volvere saxa.

Risit

Risit Honos. : Patuere, *inquit*, secreta Tonantis.
Fortunata nites Premislia sole cupito:
Et lapis hic teretem Phæbi se gyrat in orbem.
Exue iam pullos, iam lætior exue cinctus,
Dum votis meliora tenes. *Tunc floribus æther*
Grandinat, & la è gemmarum lactea fertur
Tempestas cecidisse polis. Sed quantus in orbem
Ducitur, ætherea quondam lapis æde locatus,
Bokumiæ *simulacra Domus; ruit æthere densus*
Tantorum nimbus lapidum. Non caute refossi
Carpatia, Temesesq; jugis, Pariisve cavernis:
Baccarum simulant formas! & fulvus obryzo
Emicuit, quali ditescit Lydia, fulgor.
Sarmatiæ texit glebam pretiosa pruina,
Romuleiq; Patris cælos ferientia texit
Culmina. Terrarum *Princeps sub nube latentes*
Arcanos didicit sine Delphis Numine sensus.
Fida sacrum pectus nec enim quid sidera celant.
Pandit Aventinæ regale modestiùs aulæ
Interea votum Lechicis Augustus *ab oris,*
At Pater: hæc *inquit* stetit hæc sententia Divis.
Paruimus cœlo: saxum sit gemma tiaris,
Est adamas Præsul. Quorsum spes fessa trahatur?
Promeruit iam vitta capi: nec defuit omen.
Virtutis iacitur solidæ ad fundamina tale,
Ad scelerum Syrtes *Augusto à* Saxone Saxum.
Tunc operi se dedit Honor, sudatáq; Serum
Impiger Assyrii spumis bis tingit déni
Licia Præsuleum cocco geminare pudorem
Sedulus: Erubuit, nec huic par visa rubori
Purpura: format acu chlamydem, variatq; colore,
Quaq; nitet Prœsul, virtus in fila vocatur,
Irrita sed nequeunt molimina reddere totam.
Idaliæ vix tale Iovi plumare Sorores
Fortè Sagum valeant. Texto præ stamine Sanus
Fluctuat, assiduiq; tument in vellere montes,
Sutaq; clavatas tollit Premislia turres,
Inde pedi columen, capitisq; bicornia fingit
Pilea, Patritiæ posthac insignia stirpis.

(***) *Sic*

Sic utinam phrygio mentem, sic pingat Apelles,
Vt decora, & sacros vultus Antistitis! Orbi
Posset nil avido pingi speciosius: omnes
Innocui effigies animi penderet ad aras.
Numina quis damnet? judex quæ censuit æther.
Quis vetet? & nasci redimitus tempora vittis
Debueras, infans saltèm lusisse tiaris,
Vt per natalem reptantia Numina Delon,
Et lunam, & patrium fecere crepundia solem.
Qui fasces cessere viro, pueritia prensis
Rarum infantili dextra tribuisset honorem.
Quin neq; cauentes oneravit mitra capillos:
Antevenis annos. at non sub pondere nutat,
Maxima dum prendis, summis matura juventus.
Nec te mutat honos. Velut insidiantia proris,
Saxa latent pelago, & passim dolus abditur alto,
Sic fasces multis nocuam struxere Charybdim.
Aut veluti Pontum Zephyrus nunc mulcet, ut æque
Dormiat, & cicures componat æquora fluctus:
Mox furiata Thetis Cauro bacchante, procellas
Concitat. & Titan hilari nunc fronte renidet,
Cœlum non vitiat mæror, subridet Olympus;
Lurida mox nubes squaloribus inficit astra.
Vix radiâsse juvat. Quantis humana rotâtur
Casibus! ut vicibus redeunt, probitasq; nefasq;!
Sanctior egregios senio pueritia mores
Spondet; adultorum mentitur vita: nitescit
Sordida flagitiis fortuna, sed indiga nummi,
Aut laudis, nitido recti fulgebat aprico:
Mens sibi fama fuit, solæq; in pectore gazæ.
Sic agitat fortuna leves, mutamur & annis!
Tu documenta facis, qua natus origine vitam
Traxisti. Saxo Generis se gloria censet?
Magnanimam quoq; duravit solidissima mentem
Integritas, lapidumq; rigor sub moribus hæsit.
Mobile nil, dubiumq; nihil, nec Protea nôsti:
Saxea non patitur frangi constantia vires,
Quas pietas, quas cana fides corroborat ausis:
Fors adamantæis vallas præcordia muris.

Quid Tibi transverso mentem torrente retorsit?
Ambitus, an luxus? num Te fastigia vertunt,
Aut mores cecidere pii, dum tolleris altùm?
Turpè profanat honor multos vel sanctior; at Te
Consecrat: ingenui velut à censore sinistro,
A tenero semper repetuntur pectore mores.
Iudice Te constat pietas: Tibi durior instas
Æacus, ipse Tibi exactor Rhadamanthus honesti,
Teq; jubes talem, quales nos fingere poscis.
Hinc meliùs factis, Tyrio quàm nosceris ostro.
Si desit crinalis apex, solemq; lacessens
Gemma tiarato cedat de vertice, sacram
Impleat auratus necquicquam scipio dextram,
Pontificem magìs acta probant, quàm tænia frontis.
Prosperitas ferale malum quàm sæpe decoras
Infatuat mentes! heu quot de vertice recti
In scelerum cecidere chaos; quia fata dederunt
Celsiùs efferri titulis! Te porrigit astris
Dius honor, nec mente ruis sub Tænara, pennas
Cùm dedit in cœlum volitantes altá potestas,
Nec, quem læta rotat fortuna, exorbitat orbis.
At non Caucaseus riguit sub moribus horror;
Nec tibi cor silicis: lenit clementia pectus;
Vestibulis cessere minæ, non atria centum
Obsedere metus, rigidusve in limine custos.
Præ foribus stat blandus amor, penetrale coronant
Excubiæ pietatis. Heri de pectore mitis
Tale satellitium non emicet? Ille severas
Fronte minas quandoq; ciet; sed mente serenum
Ridet. Et æthereàm fuscat caligine frontem,
Percellit tonitrûs metuendo murmure terras
Fulmineus Pater: at pharetris fera tela recondit,
Sufficiuntq; minæ sævo pro fulminis ictu.
Dura nec immotos tutatur opinio sensus;
Sed velut Amphion Thebana in mœnia cautes
Pellexit citharâ, sic Tu ratione moveris;
Vt Saxum in ceris, rigido non pectore constet
Te præferre: animi Suadam, non pumicis esse.
Consilium ipse tuum es, solus quoq; curia Patrum.

Ast censere fugis sic, ut non improbet ullus,
Votaq; disturbet pejor contentio. Quantis
Pronius est regni fœdas spectare ruinas,
Semirutas arces, & adhuc fumantia tristè
Rudera, civili saturatos sanguine campos,
Cùm Patriæ nomen, tum libertatis inane;
Quàm sine sperato vocem consumere plausu.
Promitur in medium, quidquid discordia jussit.
Crimina, Tu censes, ritus turbare vetustos;
Non libertatem, patrias contundere leges;
Ne consulta minùs videaris promere dicta.
O bene! divisum nectit concordia mundum;
Iam regna, & cives discors sententia scindit.
At quàm Præsuleum summissa modestia culmen
Deprimit! æthereus penito sic jacta colossus
Fundamenta solo, caput inter sidera condit,
Demittiq; juvat. Fortunâ nemo placere,
Ni ditet probitas, valet: infortunia nullum,
Si locuples virtus animos cumulaverit, arcent
Præsulis aspectu. Retinet commercia solis,
Inter Sarmatici dum splenduit astra Senatus.
Quid morer? en hilares votiva in carmina Musæ
Ire jubent, plausuq; diem conjungere nocti,
Nec tibi, sed nostræ festivùm plaudere sorti.
Prosperitas nam rupe tua se publica fundat.
Lechicæ Deucalion jactis in semina saxum;
Aurea sed jacto succrescent tempora saxo.
Omnia mutabis Præsul meliore metallo:
Gemmis hora fluet, fundetur mensis obryzo,
Annos Sapphiro solidabis, lustra smaragdis;
Et nova concrescet fortuna adamante perenni.
At tuus æternum sese circumferet orbis,
Fortuna volvente rotam, volventibus astris;
Nec lapide hocce dies, longum signabimus ævum.

Legit totam hanc Panegyrim [illegible] Stanislaus Z[illegible] [illegible] 1708 in festo S. Jos[illegible]